



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus. XXIX. De Clerico per saltum promotio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

olim, sic etiam hodie non incurrit: licet illa proditis poenis perinde, ut clerici, puniantur.

In irregularitate, quam à clericis per temerarium Ordinum usum contrahi, ad hanc & proximam Rubric. est dictum, dispensare & sacros Ordines suscipiendi potestatem concedere, antiquò Decretalium potuit solus Papa, *cc. 1. § 5. fin. de Re*

judic. & de Sent. excom. in 6. Novissimò autem jure S. Synodi Tridentina, sicut in aliis, extra homicidium, sic etiam in hac irregularitate, delictò occultò contractò, dispensare Episcopus permittitur *Sess. 24. cap. 6. de Ref. Ugolin. de Offic. Episc. cap. 57. §. 3. n. 1. Bonacina de Censur. disp. 7. q. 3. p. 6. n. 10. Palao p. 18. cit. n. 12. & Barbosa in cap. 6. cit. n. 13.*



TITVLVS XXIX.

De Clerico per Saltum promotio.

SUMMARIUM.

1. Ordines suscipiendi sunt gradatim.
2. Aliiter ordinatus ab Ordine per saltum suscepto suspensus:
3. Et, si in eo ministrat, irregularis est:
4. Non tamen suspensus est ab Ordinibus rite susceptis.
5. A minoribus suspensus est, qui primam Tonsuram:
6. Non etiam, qui Confirmatione omisit, eos suscipit.

I. **P**raterea circa Ordines delinquent clerici promoti per Saltum, sive qui, uno vel pluribus Ordinibus inferioribus prætermisiss, ascendunt ad superiorem, Gonzalez *in c. Unic. n. 4.* cum enim duce Naturâ, quæ à minimis incipit, & ad majora pedetentim progreditur, legibus etiam Imperialibus sancitum sit; ut gradatim & à minoribus ad majores honores perveniretur, *l. Ut gradatim 1. l. Honor 14. §. 5. ff. de Muner. & honor.* providè etiam ab Ecclesia con-

stitutum est; ut gradatim, hoc est, à prima Tonsura ad Minores, & ab his ad Majo- res Ordines ascenderetur, *can. 1. dist. 52. can. Si Officia 2. can. fin. dist. 59.* & novissimè à S. Synodo Tridentina *Sess. 23. cap. 2. de Sacram. Ord. & cap. 11. de Reformat.*

Si quis autem contra has Ecclesiæ 2. sanctiones, sive scienter sive ignorantèr, per saltum promoveretur, licet Ordinis characterem susciperet, Glossa *fin. c. Unic. ubi Panormit. n. 1. Fagnan. n. 4.* ipsò jure tamen esset suspensus, donec omisissus Ordo inferior suppleretur, *c. Unic. cit.* quò rextu relatò Innocentii III. rescriptò is, qui prætermisissò Diaconatu ordinatus est Sacerdos, primùm post collatum diaconatum in sacerdotio ministrare ab Episcopo asseritur permittendus. Idem desumitur ex *cit. Sess. cap. 14.* ubi cum promotis per saltum, si non ministraverint, idem dispensare permittitur, minimè obscurò indiciò contractæ suspensionis, Barbosa *in c. Unic. cit. n. 2. Fagnanus n. 22. & Gonzalez n. 2.* Unde

○ ○

Dubios

3. Dubium oritur primò de irregularitate. Quam licet sic promotus incurrat, ad eum Ordinis, ad quem per saltum ascendit temerè exercendò; cum ministret ligatus censurà; ac proinde locus sit dispositioni, *c. Apostolica 9. de Clerico excom. ministr. ec. 1. §. fin. de Re judic. & de Sent. excom. in 6.* eam tamen non contrahit, si ejus Ordinis usu abstineat; cum id ullò Jure expressum non sit. Imò tali casu irregularitatem non contrahi, perspicuum sit ex *c. cit. & Tridentini cit. cap. 14. de Ref.* quò locò utroque Episcopus dispensare permittitur cum promotis per saltum, si non ministraverint (Scienter & ambitiosè) luculentò argumentò, illam à sic ministrante contrahi, & à non ministrante evitari, Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 47. n. 2.* Fagnanus *in c. cit. n. 22.* & Sperellus *decis. 114.*

4. Dubium secundò est, an dicta suspensio etiam afficiat ritè susceptos Ordines inferiores. Quod licet asserant Majorius *Lib. 4. de Irregularit. cap. 12.* & Gonzalez *in c. Unic. cit. n. 6.* verisimiliùs tamen cum Suarez *de Censur. disp. 31. s. 1. n. 48.* Riccio *decis. 216. n. 2.* & aliis *cit.* Barbosa *n. 10.* eà solum affici docet Ordinem, qui per saltum est receptus. Quare sic promotus ad Ordinum ritè susceptorum actus exercendos nullà opus est dispensatione; cum *c. Unic. cit.* per saltum promotus ad Sacerdotium, ad istius duntaxat usum opus habere videatur dispensatione: quò modò, cum possit, in materia pœnali accipienda est dispositio Tridentini, *arg. Reg. Odià 15. & Reg. In pœnis 49. in 6.*

5. Dubium tertio est de promotus ad Ordines minores, omisà primà Tonfurà: quem, donec istam recipiat, ab illorum executione suspensum, multis & meritò contendit Sperellus *decis. cit. à n. 17.* & à S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratum,

testis est Gallemart *ad Trident. cap. 14. cit. n. 14.* Ratio est; quia, licet contra VV. Canonistas & ex RR. Fagnanum *in c. Cum contingat 11. de Etat & qual. à n. 44.* & *cit.* Sperell. *à n. 19.* Ordo propriè & strictè sumptus esse, multò frequentiori & præcipui nominis DD. calculò negetur, per tradita *Lib. 1. Tit. 11. n. 3.* ad Ordines tamen primus gradus & eorum quasi fundamentum est; cum fideles Ordinum capaces reddat: & Ordinum instar in consuetis Ecclesiæ Ordinationibus, ut illi, conferatur, atque idcirco non solum à DD. sed sacris etiam Canonibus Ordo vocetur *c. Cum contingat cit. c. In Ecclesia 2. de Institut. &* sicut, minores ad majores, sic ipsa prærequiritur ad Ordines minores, secundum Trident. *cap. 2. cit. &*

Dubium quartò est, an suspensus etiam sit, qui ad Ordines minores promotus est ante receptum Sacramentum Confirmationis. Ratio dubitandi desumitur à paritate Baptismi, quò non susceptò ordinatus nequit ministrare, sed latum discrimen inter hunc & Confirmationem intercedit; Baptismus enim, cum omnium Sacramentorum janua sit, *c. Unic. de Presbyt. non baptiz. & c. Per Catechismum 2. de Cognat. Spirit. in 6.* necessariò ipsi præmissa ordinatio invalida, omniumque Ordinum exercitium illicitum ac nullum erit, Glossa *in can. 1. dist. 52.* Confirmatio verò, licet Ordinibus quibuscumque & primæ etiam Tonfuræ præmittenda sit ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 23. cap. 4. de Ref.* ad eorum tamen valorem necessaria non est: neque ullo Jure expressa reperitur suspensio, quam incurrat, qui ante confirmationem, sive scienter sive ignoranter, ordinatur, Zælius *ad hanc Rubr. n. 5.*

☞ (O) ☞

TITU.